



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 2. Quo Jure introductum sit sigillum Confessionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

§. I.

Quid sit Sigillum, & Quoruplex?

183. Sigillum propriè est id, quo præter alia etiam litteras claudimus, ut contenta in iis non ab aliis, quàm à quibus volumus, cognosci possint. Metaphoricè est obligatio servandi secretè id, quod ab alio cognovimus. In hac metaphoricè acceptione dici quidem potest aliud esse merè naturale, aliud etiam Sacramentale. Fagund. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 5.* sed hoc posterius, quia est multò strictius quàm illud, ideo præcipuè & absolute *Sigillum*; illud verò tantùm dici solet *Secretum*, vel cum addito *Secretum naturale*, & est obligatio servandi secretè ea, quæ aliunde, quàm ex Confessione Sacramentali cognovimus. *Sigillum Sacramentale* autem seu Confessionis est juxta Fagund. *l. c. n. 2.* inviolata & indispensabilis obligatio, præcepta à Christo, occultandi ea, quæ in Confessione Sacramentali dicuntur. Juxta Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 1.* est obligatio servandi secreta & tacita ea, quæ accepta sunt ex Confessione, tendente ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundùm propositum pœnitentis. Breviter & rectè dici potest, obligatio occultandi ea, quæ in Confessione Sacramentali sunt cognita; ita fere Tolletus *l. 3. cap. 16. n. 1.*

Nonnulli volunt, præter *Sigillum Confessionis*, & *Secretum naturale* dari aliud tertium *Secretum*, quod Tamb. *de Confess. lib. 5. cap. 4. n. 3.* vocat *Medium*; Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 133.* & alii *arctissimum & inviolabile*; ajuntque *Sigillum* esse illud, quo Confessarius tan-

tùm; *Secretum medium*, quo alii obligantur ad occultandum peccatum pœnitentis, ex ejus Confessione, quocunque tandem modo, cognitum; certas quoque pœnas esse in jure statutas tantùm pro sigilli, & non pro secreti violatoribus. Verùm quia obligationi per accidens & extrinsecum est, ejus violatori esse vel non esse in jure præscriptam certam pœnam; de cetero autem obligationi *Secreti medi*, ut ejus autores fatentur, se habet quoad omnia eodem modo, quo ab aliis dicitur se habere obligationi *Sigilli*; ideo nec una ab altera, nec *Secretum medium* à *Sigillo* rectè distinguitur. Unde DD. aliqui (quod bene notandum) cum subinde dicunt, aliquem *Secretum* tantùm medio obligari, & non *Sigillo*, faciunt metam quæstionem nominis, sicut etiam observat Lug. *de pœnit. Disp. 23. n. 21. & 24.* vel certè Quæstionem de obligatione *Sigilli* malè confundunt cum Quæstione de pœna violantium *Sigillum*. vide etiam Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 17. v. secundo.*

Ad vitandam ergo litem nominalem, & tollendam confusionem, nos *Secretum medium* & *Sigillum Confessionis* habemus pro eodem, & quæ de illis ab aliis tradi solent, reducimus ad hæc tria capita.
1. Quo jure sit introducta obligatio *Sigilli*?
2. Cui Confessione sit annexa?
3. Quàm ea sit stricta?

§. II.

Quo jure introductum sit Sigillum Confessionis?

184. *Sigillum*, ejusque obligatio introdu-

producta est triplici Jure. I. *Naturali*, tam in materia Justitiæ, quàm in materia Religionis. In materia Justitiæ Jus naturale præcipit, ut nemo alterius famam & honorem lædat, manifestando occultum aliquod ejus delictum; item ut nemo contra datam fidem violet justum suum pactum, etiam implicitum; quale censetur quilibet quoque cum altero facere hoc ipso, quod suum arcanum aperiat alicui, tanquam ei, cujus sit consulere, juvare, solari &c. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5. n. 1. & tr. 6. cap. 4. n. 9. sicut & pœnitens aperit Confessario. In materia Religionis Jus naturale dicitur, ut sicut alias res sacras, ita & Sacramentum Pœnitentiæ nemo irreverenter tractet; quod fieret, si id Confessarius per revelationem confessi peccati redderet hominibus odiosum, ab ejusque usu absterret. II. *Ecclesiastico*; quia cap. *Omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss.* sub gravissima pœna præcipitur, ut Confessarius caveat omnino, ne verbo, vel signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem, sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat. III. *Divino*. Nam Christus Dominus quia Sacramentum Pœnitentiæ per modum Judicii spiritualis instituit; & de causa non plenè cognita nemo bene judicare potest; ideo omnes fideles post Baptismum lapsos obligavit, & sua peccata mortalia, etiam occultissima & gravissima, quorum sibi post diligens examen conscii sunt; omnia & singula confiteantur quoad speciem & numerum, ut ex variis SS. Scripturæ locis definitum est à Trid. *sess. 14.* Etsi ergo Christus per absolutam potentiam &

potestatis plenitudinem potuisset nos obligare ad Confessionem peccatorum publice faciendam; vel Confessariis potestatem dare peccata pœnitentium revelandi, saltem in aliquibus casibus: ipsum tamen Sacramentum, prout cum tanta Confessionis integritate institutum est, videtur ex se & ex sua hac natura exigere; simulque tam humanæ nostræ fragilitati, quàm infinitæ bonitati ac misericordiæ DEI conveniens fuisse non tantum, ut pœnitentibus Confessio publica non præciperetur, sed etiam ut Confessariis quædam obligatio Sigilli imponeretur. Atque ita re ipsa factum esse confirmat perpetuus Ecclesiæ usus & traditio, semper hucusque intentæ, ut sanctissimè servaretur Sigillum Confessionis. Suadet quoque ratio, quia Christus, qui suum jugum suave esse dixit, & tamen Sacramentum pœnitentiæ cum integra omnium peccatorum mortalium Confessione, per se factis difficile & grave, voluit omnibus fidelibus post Baptismum lapsis esse summè necessarium ad salutem, adeoque etiam toti Ecclesiæ summè utile; utique non voluit simul illud ita reddere odiosum & exosum, ut homines ab ejus usu & frequentatione absterrentur, meritoque ab eo possent abhorre. Id enim esset intentioni Christi, ejusque sapientiæ ac bonitati contrarium; cederet quoque ut in magnam Sacramenti irreverentiam, ita & in maximum fidelium, totiusque Ecclesiæ detrimentum: atqui Sacramentum Pœnitentiæ, cum tanta integritate Confessionis obeundum, esset fidelibus prorsus odiosum & exosum, ab eoque absterrentur, & merito abhorrent, nisi ratione illius esset Confessariis

fariis imposita strictissima & universalissima obligatio Sigilli, ergo &c.

Et hoc Jus divinum vult Lugo *Disp.* 23. n. 9. esse naturale, quia supposita institutione Sacramenti Pœnitentiæ cum tanta integritate videtur ipsum lumen rectæ rationis cuius dicitare, quod obligemur, audita in eo servare secreta. Sed an cum tam omnimoda obligatione, quantam sigillum Confessionis habet, est satis dubium. Itaque expeditius est, si cum Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 2.* Coninch. *de Sacram. Disp. 9. n. 34.* & aliis dicatur, Jus illud divinum esse positivum, naturæ tamen Sacramenti, ejusque institutioni valde conveniens. Laym. *l. c.* vel etiam connaturale. Fagund. *cit. l. 6. cap. 1. n. 7.* & 12. contineturque saltem virtualiter in Præcepto divino, de materiali integritate Confessionis. *Dicast. Disp. 12. n. 11.*

§. III.

Sigillum cui Confessioni sit annexum?

185. Sigillum, ejusque obligatio annexa est soli Confessioni Sacramentali. Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 1.* & quidem omni. Coninch. *Disp. 9. n. 4.* *Dicast. Disp. 12. n. 24.* tamen, quæ strictè & propriè est talis, *sup. l. 1. p. 3. n. 25.* descripta; quàm ei, quæ est tantùm quasi talis, & fit ad modum Sacramentalis, *Tolet. lib. 3. cap. 16. n. 7.* ex communi; quia alioquin homines absterrentur adhuc à Sacramento Pœnitentiæ; cum deberent timere, ne ipsorum Confessio haberetur non pro verè, sed tantùm pro quasi Sacramentali, possitque

invitis illis revelari aliis. Quid autem jam sit Confessio Sacramentalis prout est aliquid utrique commune, à variis variè explicatur; & videtur operæ pretium, aliquorum opinionem verbatim referre.

Dicitur ergo I. esse Confessio, quæ fit Sacerdoti, saltem existimato, cum intentione percipiendi absolutionem, Palao *l. c.* Idem ferè est, cum dicitur II. esse accusatio peccatorum, facta Sacerdoti vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem; ut concinnavit Gobat. *tr. 7. n. 9.* III. esse illa sola & omnis, quàm pœnitensei, quem bona fide credit esse Sacerdotem, facit in ordine ad absolutionem percipiendam: etiamsi hanc non percipiat, eò quòd sit indispositus; vel quòd Sacerdos eum non possit absolvere, vel ob alias causas; ut exponit Coninch. *de Sacram. Disp. 9. n. 4.* IV. esse illa, in qua manifestantur Sacerdoti peccata per ordinem ad Confessionem, factam animo se accusandi ad obtinendam absolutionem, *Dicast. l. c.* V. esse illa, quæ fit cum intentione se accusandi coram sacerdote (vero vel bona fide existimato) tanquam Judice constituto à Christo, ut ab eo absolvatur, vel juvetur eo modo, quo judicaverit expedire. *Reginald. lib. 3. n. 8.* VI. esse illa, quam pœnitens facit alicui tanquam Judici in foro interno, ut iste judicet de ipsius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod adhuc deesse censet, ut possit absolutionem aliquando obtinere; vel VII. esse illa, per quam pœnitens vult facere aliquo modo id, quod Christus præcepit. Utramque hanc definitionem tradit Lugo *de pœnit. Disp. 23. n. 45.* habetque *n. 46.* pro Confessione Sacramentali